



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

In Adventu Domini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**



S. P. BERNARDI  
CLARÆVALLENSIS  
ABBATIS PRIMI,  
SERMONES PER ANNUM.

*De Adventu Domini, & sex circumstantiis eius.*

SERMO PRIMUS.

**H**odie, Fratres, celebramus Adventus initium; cuius utique fi-  
cut & cæterarum solemnitatum nomen quidem celebre satis  
& notum mundo, sed ratio nominis fortè non ita. Infelices  
enim filii Adam omiſſis veris & ſalutaribus ſtudiis, caduca  
potius & tranſitoria quærunt. Quibus aſſimilabimus homi-  
nès generationis huius: aut quibus comparabimus illos, quos videmus à  
terrenis & corporalibus conſolationibus avelli, ſeparariq; non poſſe? Pro-  
fecto ſimiles ſunt hiſ, qui ſubmerſi periclitantur in aquis: nimirum vi-  
deas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere quod primum occur-  
rerit manibus, quicquid ſit illud, licet tale ſit aliquid, quod omnino pro-  
deſſe non poſſit, ut ſunt radices herbarum, cæteraque ſimilia. Nam & ſi  
qui ad eos fortè veniant ut ſubveniant, nonnunquam ſolent apprehenſos  
involvere ſecum: aded ut iam nec ſibi, nec illis auxilium ferre præva-  
leant. Sic pereunt in hoc mari magno & ſpatioſo, ſic pereunt miſeri, dum  
peritura ſectantes, amittunt ſolida, quibus apprehenſis emergere & ſalva-  
re poſſent animas ſuas. Neque enim de vanitate, ſed de veritate, dicitur:  
*Cognoscetis eam, & liberabit vos* \*. Vos igitur, Fratres, quibus tanquam  
parvulis revelat Deus, quæ abſcondita ſunt à ſapientibus & prudentibus,  
circa ea quæ verè ſalutaria ſunt, ſedula cogitatione verſamini, & diligen-  
ter penſate rationem adventus huius, quærentes nimirum quis ſit qui ve-  
niat, unde, quò, ad quid, quando, & quà. Laudabilis ſine dubio curioſi-  
tas iſta eſt & ſalubris: neque enim tam devotè Eccleſia univerſa præſen-  
tem celebraret Adventum, niſi lateret in eo magnū aliquod ſacramentum.

*Primo igitur: Ico cum Apoftolo ſtupente & admirante intuemini &*

*Sermones S. Bernardi.*

▲

VOE,

*Comparatio e-  
legans homi-  
num terrenis  
adherentium.*

*Pereunt qui  
peritura ſe-  
ctantur.*

*a Joan. 8. d*

*Circumſtantia  
Adventus  
Domini.*

## S. Patris Bernardi

2

*Qui seu  
quantus.  
Luc. 1. d.*

*Quare filius  
venit in mun-  
dum, non Pa-  
ter aut Sp. S.  
Rom. 11. d.*

*e Rom. 12. d  
d Luc. 10. c.\**

*Superbia de-  
stabilis.  
e Joan. 8. f*

*f Eccl. 10.  
b\**

*Superbia  
principem  
Angelorum  
comutarit in  
diabolum.*

*g Apoc. 3. b  
h Coloss. 2. a*

*i Ioan. 8. f  
k Esa. 14. d*

*l Gen. 3. b  
m Esa. 1. f*

vos, quantus sit iste qui ingreditur: ipse enim est secundum Gabrielis testi-  
monium <sup>b</sup>, *Altissimi Filius*, ac proinde coaltissimus ipse. Neque enim fas  
est Dei Filium degenerem suspicari: sed æqualis, fateri necesse est, altitu-  
dinis, & eiusdem penitus dignitatis. Nam & filios Principum Principes,  
& filios Regum Reges esse quis nesciat? Verumtamen quid sibi vult quod  
è tribus personis, quas in summa Trinitate credimus, confitemur, & ado-  
ramus, non Pater, non Spiritus sanctus advenit, sed Filius. Minime qui-  
dem ego id factum arbitror sine causa. Sed quis cognovit sensum Domini?  
aut quis consiliarius eius fuit? Neque enim sine altissimo Trinitatis con-  
filio factum est, ut Filius adveniret. Et si consideramus exilii nostri causam:  
fortassis advertere possumus vel ex parte, quàm congruum fuerit à Filio  
nos maximè liberari: Lucifer enim ille, qui manè oriebatur, pro eo quòd  
Altissimi similitudinem usurpare tentavit, & rapinam arbitratus est esse se  
æqualem Deo (quod utique Filii est) præcipitatus illicò corruit, quoniam  
zelavit pro Filio Pater, & opere dixisse videtur: *Mihi vindictam, & ego ve-  
tribuam* <sup>c</sup>. Continuo videbis Satanam tanquam fulgur cadentem de cæ-  
lo. <sup>d</sup> Quid tu igitur superbis terra & cinis? Si superbientibus Angelis Deus  
non peperit: quanto magis tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil o-  
peratus est, tantum cogitavit superbiam, & in momento, in icu oculi, irre-  
parabiliter præcipitatus est: quia iuxta Evangelistam, *In veritate non stetit* <sup>e</sup>.  
Fugite superbiam, Fratres mei, (quæso) multum fugite. Initium om-  
nis peccati superbia <sup>f</sup>: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cun-  
ctis clariis micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non  
modò Angelum, sed Angelorum primum in diabolum comutarit. Unde  
& protinus invidens homini quam conceperat in semetipso, in eo peperit  
iniquitatem; suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens  
bonum & malum. Quid enim polliceris, quid promittis miser: cum filius  
Altissimi scientiæ clavem habeat, imò & ipse sit *clavis David, qui claudit  
& nemo aperit?* <sup>g</sup>? In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ ab-  
sconditi <sup>h</sup>: tune eos ut homini præstes, iniquè furaberis? Videtis quia  
verè iuxta Domini sententiam *mendax iste est, & pater eius* <sup>i</sup>. Nam &  
mendax fuit, dicens: *Similis ero Altissimo* <sup>k</sup>: & mendacii pater, cum in  
hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens:  
*Eritis sicut dii* <sup>l</sup>. Tu quoque ô homo, si vides furem, curris cum eo? Au-  
ditis, Fratres, quid hac nocte lectum est in Esaia <sup>m</sup>, dicente Domino:  
*Principes tui infideles: vel (ut alia translatio habet) inobedientes, socii furum.*  
Revera enim Principes nostri A. Adam & Eva principia nostræ propagi-  
nis, inobedientes & loci furum; qui quod Filii Dei est, serpentis, imò dia-  
boli per serpentem consilio subripere tentant. Nec dissimulat iniuriam

Filii

## De Adventu Domini, Serm. I.

3

Filii Pater (Pater enim diligit Filium " ) sed continuo & in ipsum hominem vindictam tetribuit, & aggravat super nos manum suam : omnes enim in Adam peccavimus, & in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat Filius videns pro se zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit, altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum qui sibi crederet, habuit: sed continuo Patris zelus graviter vindicavit in illū, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque quæ nihilominus mea est, furripere voluit homo : & ne illi quidem misertus est, nec pepercit oculus eius. Nunquid de bobus cura est Deo? Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet, atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut sciant quia & ego diligo Patrem; per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. *Si propter me tempestas hæc orta est, (ait Jonas) tollite me, & mittite in mare* . o Jonæ. r. b.

Omnes invidet mihi. Ecce venio, & talē eis exhibeo memetipsum, ut quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Novit tamen in affectum malitiæ & nequitia transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse, ideoque perire necesse est poenitere nolentes. Patris enim amor, & honor regis iudicium diligit.

*Contemplatio  
longè piissima  
de Filio Dei  
homine facto.  
Joan. 3. d*

*Jonæ. r. b.*

Propter hoc enim & ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locū illum, & ruinas Hierusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis pariter redeundi viam. Nempe novit *superbiā Moab, quod superbus est valde P* : & superbia eius poenitentia remedium non admittit, ac per hoc nec venia. At verò hominis vice nullam postea condidit creaturam innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem : quippe quem supplantavit aliena malitia : ideoque prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complaceat tibi ut eruas me, quoniam ego infirmus sum. Quoniam de terra mea furtim sublati sum, & hinc innocens in lacum missus sum . q Gen. 4. c

Non penitus quidem innocens : sed quantum ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenus. Mendacium mihi persuasum est. Domine: veniat veritas ut possit falsitas deprehendi, & cognoscam veritatem, & veritas liberabit me : si tamen deprehensa falsitati penitus renunciavero, & cognita adhæsero veritati: Alioquin nō humana erit tentatio, nec humanū peccatū, sed obstinatio diabolica. Nā perseverare in malo diabolicū est: & digni sunt perire cū illo, quicumque in similitudinem eius permanent in peccato.

*Quare homo  
redemptus non  
Angelus.  
p Elai. 15. b*

*Aspiratio de-  
vota.  
q Gen. 4. c*

*Perseverare in  
malo diabolicū  
cum.*

Ecce, Fratres, audistis quis sit qui veniat : considerate iam unde veniat, & quò. Venit utique de corde Dei Patris in uterum Virginis Matris; venit à summo cœlo in inferiores partes terræ. Quid ergò? Nonne & nobis in

*Vnde & quò  
venit, Filius  
Dei.*

A 2

terra

## Sancti P. Bernardi

4

terra est conservandum? Est, si tamen in ea perstitit ille? Ubi enim bene erit sine illo, aut ubi male esse poterit cum illo? Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum: Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, si tamen tu mecum es. Nunc autem ut video, & ad terras, & ad ipsum quoque descendit infernum: non tanquam vincetus, sed tanquam inter mortuos liber: sicut lux quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Unde nec relinquitur anima in inferno, nec sanctum corpus in terra videt corruptionem. Christus enim qui descendit, ipse est & qui ascendit, ut adimpleret omnia, de quo scriptum est: *Qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Et alibi: *Exultavit ut gigas ad currendam viam: à summo calo egresso eius, & occursum eius usque ad summum eius.* Merito proinde clamat Apostolus, dicens: *Quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Incaustum laboraret erigere corda nostra, nisi collocatū in caelis salutis nostræ doceret auctorem. Sed videamus iam quæ sequuntur. Nam & si materia quidem copiosa invenitur & uberrima valde, sed angustia temporis tantam sermonis longitudinem non admittit. Considerantibus ergo quis veniat, magna omnino & ineffabilis maiestas innotuit. Suspicientibus unde veniat, grandis planè patuit via, secundum eius testimonium qui Prophetico præventus spiritu: *Ecce, inquit, nomen Domini venit de longinquo.* Porro quò veniat intuentibus, apparuit inæstimabilis dignatio & penitus inexcogitabilis, quòd in carceris huius horrorem, tanta descendere dignata est celsitudo.

Jam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, ut maiestas tanta de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur? Planè magnum aliquid quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est? Hoc namque est, quod iuxta propositum ordinem oporteat iam perferutari. Nec sanè laborandum est in hac parte, cum manifestè adventus eius causam, & verba ipsius & opera clament. Ad quærendam quippe ovem centesimam, quæ erraverat, de montibus properavit, & ut confiteantur manifestius domino misericordie eius, & mirabilia eius filiis hominum, propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsitæ. In qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tanquam à seipso, sed quod tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, & quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam: imo nec est aliquid in comparatione eius. *Domine, quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?*

Attamen

Psal. 77. d

Psal. 22. a

Actor. 10. f

Psal. 18. b

Col. 3. a

Esa. 30. f

Ad quid venerit Filius Dei

Causa divina incarnationis.

Hominis sic à D'o quæsitæ dignitas

Job. 7. d

## De Adventu Domini. Sermo I.

Attamen velim nosse quid sibi voluerit quòd ad nos venit ille, aut quare non magis ivimus nos ad illum? Nostra enim erat necessitas, sed nec est consuetudo divitum ut ad pauperes veniant, nec si præstare voluerint. Ita est, Fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit, sed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi nostri; ille verò lucem habitat inaccessibilem<sup>d</sup>, & iacentes paralytici in grabato divinam illam non poteramus attingere celsitudinem: propterea benignissimus Salvator & Medicus animarum descendit ab Altitudine sua, & claritatem suam infirmis oculis temperavit. Induit se laterna quadam, illo utique glorioso & ab omni labe purissimo corpore quod suscepit. Hæc est enim illa levissima planè & præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum Propheta<sup>l</sup> prædixerat, ut descenderet in Ægyptum.

Tempus est iam ipsum quoque considerare tempus, quo Salvator advenit. Venit enim (quod & vos credimus non latere) non in initio nec in medio temporis, sed in fine. Nec incongruè factum est, sed verè sapienter disposuit sapientia, ut cum magis esset necessarium, tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitude Adæ filios non ignorans. Verè enim advesperascebat, & inclinata erat iam dies, recesserat paulo minus sol iustitiæ: ita ut exiguus nimis splendor eius aut calor esset in terris. Nam & lux divinæ notitiæ parva admodum erat: & abundante iniquitate fervor refrigerat charitatis. Iam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, cessabant velut desperatione victi, præ nimia utique duritia hominum & obstinatione: at ego (ait Filius) *tunc dixi, ecce venio*<sup>a</sup>. Sic sic dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit<sup>b</sup>. Quod Apostolus innuens aiebat<sup>c</sup>: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*. Nimirum plenitudo & abundantia temporalium, oblivionem & inopiam fecerat æternorum. Opportunè ergo tum advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. Nam ut cætera sileam, ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit, ut ad hominis unius edictum describeretur universus orbis<sup>d</sup>.

Habetis iam & personam venientis, & locum utrumque, id est, à quo, & ad quem venit: causam quoque & tempus non ignoratis. Unum restat, via scilicet per quam venit, & hæc quoque diligenter requirenda: ut possimus sicut dignum est ei occurrere. Veruntamen sicut ad operandam salutem in medio terræ venit semel in carne visibilis: ita quotidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit & invisibilis, sicut scriptum est<sup>e</sup>: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*. Et ut no-

*Cur non potius homo ad Deum quam Deus ad hominem venerit.*

1. Tim. 6. c

2. Esa. 19. a

*Tempus adventus Domini expenditur.*

4. Psal. 39. b

6. Sap. 18. c

6. Gal. 4. a

4. Luc. 20

*Via per quam venit Filius Dei investigatur.*

6. Thren. 4.

Ibid.

*De advento  
Dei ad nos  
spirituali &  
invisibili.*

*b Rom. 10. c*

*f Prov. 3. c  
g Cant. 2. d*

*h Ibid.  
Via adventus  
Dominici in  
carnem.*

*i Matt. 1. a*

*k Esa. 11. a*

*l Esa. 7. c*

*\* Esa. 7. b*

*vivemus inter gentes.* Propterea dignum est ut si non valet infirmus in occursum tanti Medici procedere longius, saltem conetur erigere caput, & aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, o homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpina necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via, usque ad temetipsum occurre Deo tuo: prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo <sup>b</sup>. Usque ad cordis compunctionem & oris confessionem occurre, ut saltem exas de sterquilinio miseræ conscientia: quoniam indignum est illuc auctorem puritatis intrare. Et hæc quidem de eo adventu dicta sunt, quo singulorum mentes invisibili dignatur illustrare præsentia.

Libet autem & manifesti adventus viam considerare. Quoniam viæ eius viæ pulchræ; & omnes semitæ eius pacificæ <sup>f</sup>. *Ecce, inquit sponsa & venit is saliens in montibus, transfiliens colles.* Venientem vides, o pulchra, sed cubantem videre antè non poteris. Dixisti enim <sup>h</sup>: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes.* Cubans pascit Angelos, in illas perpetuas æternitates, quos satiat visione æternitatis & immutabilitatis suæ. Sed ne ignores te, o pulchra: quoniam mirabilis facta est visio illa ex te, confortata est, & non poteris ad eam. Veruntamen ecce egressus est de loco sancto suo: & qui cubans pascit Angelos, ipse cœpit, sicque sanabit nos: & videbitur veniens & pascus, qui cubans & pascens antè videri non poterat: *Ecce venit hic saliens in montibus, transfiliens colles. Montes & colles Patriarchas & Prophetas accipe, & quemadmodum venerit saliens & transfiliens, in libro generationis lege <sup>i</sup>, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, &c.* Ex his montibus prodiit (ut invenies) radix Iesse, unde iuxta Prophetam <sup>k</sup> egressa est virga, & exinde flos ascendit, super quem requievit spiritus septiformis. Quòd manifestius alio in loco aperiens idem Propheta, *Ecce, inquit <sup>l</sup>, Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus.* Quem enim prius florem, ipsum deinde Emmanuel: & quam dixerat virgam, manifestius exprimens, virginem nominavit. Sed necesse est altissimi huius sacramenti considerationem diei alteri reservari. Digna est enim proprio sermone materia, præsertim quòd in longum iam hodiernus sermo processerit.

*In Adventu Domini, de verbis Esaiæ ad Achaz.*

S E R M O II.

*Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dicit Achaz. Non petam & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite exgo domus David. Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus,*

De Adventu Domini, Serm. II. 7

*minibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Esa. 7. b.*

**A**Udivimus suadentem regi Achaz Esaiam, petere signum à Domino, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Audivimus responsum eius, formam quidem habentem pietatis, sed non virtutem. Propter hoc denique ab eo qui intuetur cor, & cui confitetur hominis cogitatio, meruit reprobari. *Non petam, inquit <sup>a</sup>, & non tentabo Dominum.* Elatus erat Achaz fastigio solii regalis, astutus humanæ sapientiæ verbis. Audierat igitur Esaias à Domino: *Vade, dic vulpi illi, petat sibi signum à Domino in profundum.* Habet enim vulpes foveam, sed in infernum quoque si descenderit, adest qui comprehendat sapientes in astutia sua. Item *Vade, ait Dominus, dic volucris isti, petat sibi signum in excelsum supra.* Habet enim volucris nidum: sed & si in cælum ascenderit, illic est, qui superbis resistens propria calcet virtute superbiorum & sublimium colla. Verumtamen dissimulat ille potestatis excelsæ, seu incomprehensibilis profunditatis sapientiæ quærere signum; & propterea signum bonitatis & charitatis domui David ipse Dominus promittit, ut quos nec potestas nec sapientia terreat, alliciat saltem exhibitio charitatis? *Charitate non dem allicit.* Potest tamen in eo quod ait, *In profundum inferni,* etiam charitas ipsa, qua maiorem nemo habuit, ut in infernum quoque pro amicis moriendo descenderet, non immeritò designari, ut præcipiatur Achaz vel in excelsum regnantis expavescere maiestatem, vel descendens ad inferos amplecti charitatem. Molestus est ergo non solum hominibus, sed etiam Deo; quisquis nec maiestatem cogitat in timore, nec charitatem cum amore meditatur. *Propter hoc, inquit <sup>b</sup>, dabit Dominus ipse vobis signum, in quo manifestè & maiestas & charitas innotescat. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel <sup>c</sup>, quod interpretatur, Nobiscum Deus.* Noli fugere Adam, quia nobiscum Deus. Ne timeas, ô homo, nec audito Dei nomine terrearis: quia nobiscum DEUS, Nobiscum carnis similitudine, nobiscum unitate. Propter nos venit tanquam unus ex nobis, similis nobis, passibilis. *b Esa. 7. c*

Deniq; *Butyrum, inquit <sup>d</sup>, & mel comedet.* Ac si dicat, *Parvulus erit, & vescetur infantilibus alimentis. Ut sciat, inquit, reprobare malum, & eligere bonum.* Et iam hîc bonum, & malum audis, sicut in arbore vetita, sicut in ligno transgressionis. Sed multo melius à primo Adam zdus iste partitur. Eligens enim bonum, malum reprobat, non sicut ille <sup>e</sup>, qui dilexit maledictionem, & venit ei: noluit benedictionem, & elógata est ab eo. Nam & in eo quod præmisit, *Butyrum & mel comedet,* advertere poteris parvuli huius electio-

*licium.*



nem. Tantum adfit eius gratia, ut quod præstat, utcumque sentire dignè, & accommodatè ad intelligendum proferre concedat. Duo sunt in lacte ovis, butyrum, & caseus. Butyrum pingue & humidum, caseus contra aridus & durus. Benè enim parvulus noster eligere novit; qui butyrum comedens, caseum utique non comedit. Quæ est enim ovis centesima, quæ erravit <sup>f</sup>, & in Psalmo loquitur <sup>g</sup>: *Erravi sicut ovis quæ perivit?* Utique genus humanum: quod benignissimus Pastor quærit, aliis sanè nonaginta novem ovibus in montibus derelictis. In hac igitur ove duo reperies, naturam dulcem, naturam bonam, & bonam valde, tanquam butyrum: & peccati corruptionem ut caseum. Vide ergo quam optimè puer noster elegit, qui naturam nostram sine ulla peccati corruptione suscepit. Nam de peccatoribus legis, *Coagulatum est sicut lac cor eorum* <sup>h</sup>, in quibus utique lactis puritatem corruerat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis.

*Christus ovis  
& apis comparatur.*

*i Psal. 100. a  
Christus nunc  
ad misericordiam quam  
ad iudicium  
promittit.*

*k Luc. 9. g*

*i Joan. 5. d  
Non abutentur  
dum Dei misericordiam.*

*m Cant. 5. e  
Maria Virgo  
virga ex qua  
Iesus flos pro-  
dit.*  
*n Ibid. 2. a\**

Sic & apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculeum. Apis verò est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Unde ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit, & ad suaveolentem perpetuæ virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit. Huius apis mel & aculeum non ignorat, qui misericordiam ei & iudicium cum Propheta decantat <sup>a</sup>. Attamen ad nos veniens solum mel attulit, & non aculeum, id est, misericordiam & non iudicium, ita ut suadentibus quandoque Discipulis ut civitatem, quæ suscipere eum noluit, præciperet igne consumi, responderit, filium hominis non venisse ut iudicaret, sed ut salvaret mundum <sup>k</sup>. Non habebat aculeum apis nostra: quodammodo deposuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, & non iudicium. Sed nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe. Habet enim apis nostra quandoque assumere aculeum suum, & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniam Pater non iudicat quemquam, sed Filio dedit omne iudicium <sup>l</sup>. Nunc autem parvulus noster butyrum & mel comedit, quando bonum naturæ humanæ, divinæ misericordiæ sic univit in semetipso, ut esset homo verus, & peccatum non habens; Deus misericors, & iudicium non exhibens.

Ex his manifestum iam arbitror, quænam sit virga de radice Iesse procedens, quis verò flos super quem requiescit Spiritus sanctus. Quoniam *Virgo Dei genitrix virga est, flos Filius eius*. Flos itaque Virginis, flos candidus & rubicundus, electus ex millibus <sup>m</sup>. Flos in quem prospicere desiderant Angeli, flos ad cuius odorem reviviscunt mortui: & sicut ipse testatur, *flos campi* <sup>n</sup> est, & non horti. Campus enim sine omni humano

De Adventu Domini, Sermo II. 9

humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus farculo, non impiguatus fimo. Sic omnino, sic Virginis alvus floruit, sic inviolata, integra & casta Mariæ viscera; tanquam pascua æterni viroris florem protulere: cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat. O Virgo virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum maiestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras Creatori, mendacii & invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem & ab initio moriturui cui dixeras: *Nequaquam morieris*: & veritas Domini manet in æternum. Sed & nunc responde si potes, quam ei arborem, cuius arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam & fructum sublimem negavit? Etenim *qui proprio Filio non percipit*, quomodo non omnia simul cum illo donavit?

*Christus eius flos campi non horti.*

*Versutia serpentis deprehensa.*  
n Gen. 3. a  
o Plal. 116. a

p Rom. 8. f

Sed iam advertistis (ni fallor) quoniam Virgo regia ipsa est via per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam quam priore (si meministis) cœpimus investigare sermone, studeamus & nos, dilectissimi, ad ipsum per ea maseendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas DEO grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio representa. Fac, ô benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam percepisti: ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ.

*Aspiratio ad B. Dei Matrem devotissima.*

*\*al. Peperisti.*

JESUS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula,

A M E N.

*De triplici Domini Adventu, & de septem columnis, quae in nobis erigere debemus.*

## S E R M O III.

*Adventus Domini quod a omnes circumstantias admirandum.*

*Cur celebratur eius adventus qui nunquam aut nusquam defuit.*

*a Joan. 1. a b 1. T. n. 6. c Dignatio divinae maiestatis.*

*Negligentia circa divinum cultum arguitur.*

*a Pl. 144. b\**

*Vanitas & abusus Christianorum in peragendis festis.*

*a Pl. 100. b*

**I**N adventu Domini quem celebramus, si personam venientis intueor, non capio excellentiam Maiestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expavescō. Stupent certè Angeli de novo, videntes infra se, quem supra semper adorant, manifestè iam & ascendentes & descendentes ad Filium hominis. Si considero propter quid venerit, amplector quoad possum inestimabilem latitudinem charitatis. Si modum cogito, exaltationem agnosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator, & Dominus venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Sed dicet aliquis: Quomodo venisse dicitur, qui semper ubique fuit? Erat quidem in mundo, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognovit<sup>a</sup>. Non ergo venit qui aderat, sed apparuit qui latebat. Unde & humanam, in qua agnosceretur, induit formam: qui nimirum in divina lucem habitat inaccessibleem<sup>b</sup>. Nec sanè in gloriam maiestati apparere in propria similitudine sua, quam fecerat ab initio: nec indignum Deo, à quibus in substantia sua non poterat agnosci, in imagine exhiberi: ut qui fecerat hominem ad imaginem & similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo.

Huius ergo Adventus tantæ maiestatis, tantæ humilitatis, tantæ charitatis, tantæ etiam glorificationis nostræ, ab universa Ecclesia semel in anno solennis memoria celebratur. Sed utinam ita semel ageretur, ut semper! id quippe dignius. Quantæ enim insanix, ut post tanti Regis adventum, aliis quibuslibet negotiis homines velint seu audeant occupari, & non magis, omissis omnibus, soli eius cultui vacent, nec in eius præsentia cuiusquam meminerint cæterorum? Sed non omnium est quod ait Propheta<sup>c</sup>. *Memoriam abundantia suavitatis tuæ eructabunt*: siquidem nec omnes hæc memoria pascit. Sanè nemo quod non gustavit, sed neq; quod tantum gustavit, eructat. Ructus quippe non nisi de plenitudine & satietate procedit. Propterea quorum sæcularis est mens & vita, memoriam hanc, & si celebrant, non eructant: sine devotione & affectione dies istos arida quadam consuetudine observantes. Denique quod damnabilius est, ipsa quoque inestimabilis huius dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos tanta sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias; ac si hæc huiusmodi quarat in Nativitate sua Christus, & ibi suscipiatur dignius, ubi hæc accuratiùs exhibeantur; Sed ipsum audi dicentem<sup>d</sup>: *Superbo oculo & insatiabili*

## De Adventu Domini, Serm. III.

11

*satiabili corde, cum hoc non edebam* : quid tanta ambitione vestes paras in narale meum? Detestor ego superbiam, non amplector. Qui tanta sollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? Damno ego carnis delicias, non accepto. Planè insatiabilis es corde tanta parans, & ex tam longo: nam corpori utique & pauciora sufficerent, & quæ possent opportunius inveniri. Celebrans ergo adventum meum, labiis me honoras, sed cor tuum longe est à me. Non me colis, sed Deus tuus venter est, & gloria in confusione tibi. Infelix omnino qui voluptatem corporis, & sæcularis colit gloriæ vanitatem. Beatus autem populus cuius est Dominus DEUS eius <sup>e</sup>.

*e Psal. 143. c*

Fratres, nolite æmulari in malignantibus *f*, neque zelaveritis facientes iniquitatem. Intelligite magis in novissima eorum, & compatimini eis ex animo, & orate pro eis qui præoccupati sunt in delicto. Hæc enim faciunt miseri, quia ignorantiam Dei habent. Nam si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ tantâ adversum se insaniam provocarent. Nos autem, dilectissimi, excusationem de ignorantia non habemus. Planè nosti eum quisquis hic es: & si dixeris quia non novi eum, eris similis sæcularibus, mendax: denique si eum non nosti, quis te huc adduxit, aut quomodo huc venisti? alioquin quando tibi persuaderi posset, charorum affectibus, corporis voluptatibus, sæculi vanitatibus sponte abrenunciare, & iactare cogitatum tuum in Domino, & omnem sollicitudinem in eum proicere: de quo nihil benè, imò tam malè conscientia teste merueras? Quis tibi, inquam, persuadere id posset, si nescires, quia bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, nisi cognovisses & tu, quia suavis est Dominus, & mitis, & multæ misericordiæ, & verax? Hæc autem unde nosti, nisi quia non solum ad te, sed etiam in te venit?

*f Psal. 36. a*

*Religiosis maior incumbit observantia quam sæcularibus.*

Triplicem enim eius adventum novimus; ad homines, in homines, contra homines. Ad homines quidem indifferenter, non autem ita in homines, aut contra homines. Sed quia primus & tertius noti sunt, utpote manifesti, de secundo qui spiritualis & occultus est, ipsum audi dicentem *g*: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Beatus, apud quem mansionem facies, Domine JESU. Beatus in quo sapientia ædificat sibi domum, excidens columnas septem. Beata anima quæ sedes est sapientiæ. Quænam est illa? Anima utique iusti. Meritò planè, quia iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Quis in vobis est, Fratres, qui desiderat in anima sua sedem parare Christo? Ecce quænam illi ferica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari. *Iustitia*, inquit, *h*, & *iudicium præparatio sedis tuæ.* Iustitia virtus est, quod suum

*Triplicis Domini Adventus.*

*g Joan. 14. c*

*Christo sedes quomodo paranda.*  
*h Psal. 88. a\**

B 2

est uni-

## S. Patris Bernardi.

12

*Tria tribus  
tribuenda;  
Superiori, In-  
feriori, Æ-  
quali.  
Superiori o-  
bedientia &  
reverentia.*

est unicuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes, & dignè celebrans adventum Christi, parans ei in iustitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam Prælati & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis. Nec enim sufficit exterius obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod etsi tam manifestè innotuerit indigna Prælati alicuius vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat: propter eum tamen à quo est omnis potestas, ipsum quem modò talem novimus, excelsum reputare debemus, non presentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, & dignati ipsius officii deferentes.

*Quid æquali?*

*Æquali Con-  
silio &  
Auxilium,  
id est,  
Exemplum  
& oratio.*

Sic & fratribus nostris, inter quos vivimus ipso iure fraternitatis & societatis humanæ, consiliis sumus & auxiliis debitores. Hæc enim volumus ut & ipsi nobis impendant consilium, quo erudiatur ignorantia nostra: auxilium, quo iuvatur infirmitas nostra. Sed fortè erit inter vos qui tacitus respondeat, dicens: Quod ego consilium dabo fratri, cui nec unum quidem dicere verbum fas est absque licentia? Quod ei auxilium impendere est, cum nec minimum aliquid agere liceat absque obedientia? Ad quod ego: Non deerit certè quod facias, tantummodo charitas fraterna non desit. Nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & consulens ei non verbo neque lingua, sed opere & veritate. An verò utilius aut efficacius auxilium aliquod est, quàm ut ores devotè pro eo, non dissimules redarguere culpas eius: ut non modò nullum ei offendiculum ponas, sed & sollicitus sis quantum prævalas, tanquam Angelus pacis de regno Dei scandala tollere, & occasiones scandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium & consiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet unde causetur.

*Inferiori cu-  
stodia & di-  
sciplina.*

*Corpori tuo  
similiter.  
NOTA:  
Quam grave  
& periculo-*

Porro si cui fortè Prælati es, huic sine dubio teneris debitor sollicitudinis amplioris. Exigit à te & ipse custodiam & disciplinam: Custodiam quidem, ut possit cavere peccatum: Disciplinam verò, ut quod minus cavet, minimè maneat impunitum. Quod etsi nemini fratrum præesse videris, habes tamen sub te, cui custodiam hanc & disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpustuum, quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus. Debes ei custodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes & disciplinam, ut dignos faciat poenitentiae fructus, castigatum, & subditum servituti. Longè tamen graviori & periculofiori debito tenentur adstricti, qui



*m Luc. 17. c* & humiliter confitetur. Audi denique manifestius à te iudicium exigi post iustitiam. *Cum feceritis*, inquit <sup>m</sup>, *omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.* Hæc planè quoad hominem est digna sedis preparatio Domino maiestatis: ut & iustitiæ mandata studeat observare, & semper indignum sese & inutilem arbitretur.

*In Adventu Domini: de duplici Adventu; & studio verarum virtutum.*

## S E R M O IV.

**D**ignum est, Fratres, ut tota devotione Domini celebretis Adventum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione, Nec verò solum cogitetis Adventum quo venit quærere & salvum facere quod perierat; sed & illum nihilominus quo veniet & assumet nos ad seipsum. Utinam circa hos duos Adventus iugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo. Utinam certè dormiatis inter medios clericos. Hæc sunt enim duo brachia sponsi; inter quæ ipse dormiens aiebat <sup>a</sup>: *Læva eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Nam *in sinistra* quidem *eius* (sicut alibi legimus <sup>b</sup>) *divitiæ & gloria: in dextera longiturnitas vitæ.* In sinistra eius, inquit, divitiæ & gloria. Filii Adam genus avarum & ambitiosum, audite: Quid vobis cum terrenis divitiis & gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt? Aurum & argentum nonne terra est rubra & alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.

*Duplex Domini Adventus.*  
*a Cant. 2. a*  
*b. Prov. 3. b*  
*Indignum homini inhiare divitiis?*  
*Earum vanitas.*  
*Divitiæ veræ quæ.*  
*2. Cor. 1. c\**  
*d Rom. 8. c*  
*Quæ item gloria vera.*  
*Vanitas humanæ gloriæ.*

Ut ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes: quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. De gloria quoque dicit Apostolus <sup>c</sup>: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hæc est utique vera gloria, quæ est à spiritu veritatis. *Ipsè enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus* <sup>d</sup>. Gloria verò, quàm ab invicem accipiunt, qui gloriam quæ est à solo Deo, non requirunt, vana est. Quoniam vani filii hominum. Inspiens tu, qui merces congregas in saccum pertusum: qui thesaurum tuum alieno in ore constituis: ignoras quòd arca ista non clauditur, nec seras habet? Quantò melius sapiunt, qui thesaurum suum ipsi sibi servant, aliis non committunt? Verum nunquid semper servabunt? Numquid semper abscondent? Veniet cum manifesta erunt abscondita cordis: quæ verò fuerint ostentata, non comparebunt. Hinc est quòd veniente Domino fatuarum virginum lampades

De Adventu Domini, Serm. IV. 15

padēs extinguntur <sup>e</sup> : & qui receperunt mercedem suam, à Domino nesciuntur <sup>f</sup>. Propterea dico vobis, charissimi : Utile est abscondere magis quàm ostentare, si quid habemus boni : sicut & mendici cum elemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra, aut ulcera si habuerint, ut citiùs ad misericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille servavit multo melius. Pharisæo, & idè descendit iustificatus ab illo, id est, præ illo <sup>g</sup>.

Tempus est, Fratres, ut iudicium incipiat à domo DEI: Quis finis eorum, qui non obediunt Evangelio? Quòd iudicium his qui in hoc iudicio non resurgunt? Quicumque enim iudicari dissimulant eo iudicio quod nunc est, in quo princeps huius mundi ejicitur foras; iudicem expectent, vel magis timeant, à quo cum ipso principe suo foras ejicientur & ipsi. Nos autem si perfectè iudicamur nunc, securi Salvatorem expectemus Dominum nostrum Jesum Christum; qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ <sup>a</sup>. Tunc fulgebunt iusti, ita ut videri possunt docti pariter & indocti: fulgebunt enim sicut Sol in regno Patris eorum <sup>b</sup>. Erit autem claritas solis septempliciter <sup>b</sup>, id est, sicut lux septem dierum.

Adveniens enim Salvator reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: si tamen prius fuerit cor reformatum, & configuratum humilitati cordis ipsius. Propter quod dicebat <sup>i</sup>: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Considera sane in his verbis, quoniam humilitas duplex est: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoscimus quòd nihil sumus; & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens <sup>k</sup>, qui etiam quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra & ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum. Sint ergo, si dormire volumus inter medios clericos <sup>l</sup>, id est, duos Adventus, pennæ nostræ deargentatæ: ut illam scilicet virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne. In argento siquidem non incongruè intelligitur humanitas eius, sicut in auro divinitas.

Omnis itaque virtus nostra tam longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma: & omnis penna nostra ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. Magna quædam penna est paupertatis, quæ tam citò volatur in regnum cælorum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati nò tam promittitur, quàm datur; unde & præsentì tempore enunciatur est <sup>m</sup>, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*.

<sup>e</sup> Matt. 25. a  
<sup>f</sup> Matt. 6.  
*Occultare præstat quam ostentare bona sua.*

<sup>g</sup> Luc. 18. c.

*Quomodo securè secundum Dominum Adventum expectare liceat.*

<sup>a</sup> Philip. 3. d  
<sup>b</sup> Matt. 13.  
<sup>b</sup> Esa. 30.

<sup>i</sup> Matt. 11. d  
*Humilitas duplex: cognitionis & affectionis.*

<sup>k</sup> Philip. 2. b.

<sup>l</sup> Psal. 67. b.

*Prærogativa Paupertatis.*

<sup>m</sup> Matt. 5. a.



*Falsarum  
virtutum  
imagines, seu  
notas & indi-  
cia pulchrè  
depingit.  
Falsa & fu-  
cata Pauper-  
tas que.  
Mansuetudo  
falsa.*

*Falsus luctus.*

*Zelus falsus  
seu inanis  
Esuries iusti-  
tiae.  
n Prov. 20.*

*Misericordia  
fucata.*

*Confessio vel  
mundities  
falsa.*

*Falsum pacis  
studium  
NOTA er-  
gò, Quàm  
pauci veras  
virtutes;  
quam multi  
umbras dun-  
taxat virtu-  
tū scelerentur.*

*cælorum ! cūm in cæteris dicatur, Hæreditabunt, consolabuntur, & similia.* Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeò pusillanimes inveniretur & tristes, utpote reges, & reges cœli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. *Sunt & alii mites,* sed quamdiu nihil dicitur vel agitur nisi pro eorum arbitrio: patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit? *Alios* quoque lugentes video, sed si de corde procederent illæ lachrymæ, non tam facilè illico solverentur in risum. Nunc autem cūm abundantius otiosa verba & scurrilia profluant quàm prius lacrymæ: Lacrymas huiusmodi de his esse non arbitror, quibus consolatio divina promittitur, quandoquidem post illas tam facilè consolatio vilis admittitur. *Alii* tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possent esurire & sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem iudicium: sed nunc pondus & pondus utrumque abominatio est apud Deum<sup>n</sup>. Nam contra alios tam impudenter quàm inaniter æstuant; seipsos tam insipienter quàm inutiliter palpant.

*Sunt alii misericordes* de his quæ ad ipsos non pertinent; qui scandalizantur, si non datur omnibus abundanter; sic tamen, ut ipsi ne in modico quidem graventur; qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam: si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent his, qui fortè contra eos peccare viderentur, indulgentiam: darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum: ut eorum mentes ad pœnitentiam provocarent. Denique & his, & omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent, & orationem. Alioquin misericordia eorum nulla est, & misericordiam consequuntur nullam. *Item sunt* qui peccata sua sic confitentur, ut videri possent ex desiderio mundandi cordis id agere (omnia enim in confessione lavantur) nisi quòd ea, quæ ipsi sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt; qui si verè mundari desiderarent, ut videntur, non irritarentur, sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. *Sunt & alii* qui si viderint quempiam vel leviter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo eum in pace reducere possunt: & videntur pacifici, nisi quòd eorum commotio si fortè quicquam contra eos factum dictūmve videbitur, tardiùs universis poterit difficiliorque sedari; qui nimirum si verè pacem diligerent, haud dubium quin eam quærent sibi ipsis.

De argen-

De Adventu Domini, Sermo V. 17

Deargentemus ergo pennas nostras in Christi conversatione, sicut & Martyres sancti laverunt stolas suas in eius passione. Imitemur, quoad possumus, eum qui sic dilexit paupertatem, ut quamvis in eius manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret; ita ut Discipulos adherentes ei legamus fame compulsos spicas manibus confri-  
 casse, cum per sata transirent: quique tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum: quem & super Lazarum & super civitatem flevisse, & in orationibus pernoctasse legimus: risisse verò aut iocatum nusquam: qui sic esurivit iustitiam, ut cum propria non haberet, tanquam pro peccatis nostris à seipso exegit satisfactionem. Unde in cruce nihil aliud quàm iustitiam sitiebat: qui pro inimicis mori non dubitavit, & oravit pro crucifixoribus suis: qui peccatum non fecit, & imposta sibi ab aliis patienter audivit: qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit.

Christus imitandus.

o Luc. 9. g

p Luc. 6. a.

q Esa. 53. e

r Joan. 11. e

s Luc. 19. f

t Luc. 6. b.

Christus flevisse

legitur nus-

quam risisse.

De medio Adventu, & triplici innovatione.

SERMO V.

Diximus nuper, his qui deargentaverunt pennas suas, dormiendum inter medios cleros, duos significantes Adventus: sed ubi sit dormiendum, non diximus. Tertius enim quidam adventus est medius inter illos: in quo delectabiliter dormiunt, qui eum norunt. Illi enim duo manifesti sunt, sed non iste. In priori quidem in terris visus, & cum hominibus conversatus est: quando (sicut ipse testatur) & viderunt, & oderunt. In posteriori verò videbit omnis caro salutare Dei nostri. Et videbunt in quem transfixerunt. Medius occultus est, in quo soli cum in seipsis vident electi, & salvæ fiunt animæ eorum. In primo ergo venit in carne & infirmitate: in hoc medio in spiritu & virtute; in ultimo in gloria & maiestate. Per virtutem enim pervenitur ad gloriam: quia Dominus virtutum ipse est Rex gloria. Et item alibi ait idem Propheta: Ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Adventus siquidem iste medius, via quædam est, per quam à primo venit ad ultimum. In primo Christus fuit redemptio nostra, in ultimo apparebit vita nostra. In isto ut dormiamus inter medios cleros, requies est & consolatio nostra.

a Joan. 15. c

b Luc. 3. a

c Joan. 19. f

Triplex Ad-

ventus.

d Psal. 23. d

e Psal. 62. a

Sed ne cui fortè inventitia videantur quæ de hoc adventu medio dicimus, ipsum audite: Si quis diligit me, inquit, sermones meos servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus. Sed quid est, si quis diligit me, sermones meos servabit? Legi enim alibi: Qui timet

f Joan. 14. c

g Eccl. 15. a

Sermones S. Bernardi.

C

Deum,

*Deum, facit bona, sed plus aliquid dictum sentio de diligente, quia sermones DEI servabit. Ubi ergo servandi sunt? Haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta <sup>h</sup>: In corde meo abscondi, eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed quomodo in corde servandi? An sufficit sola eos servare memoria? At verò sic servanti dicit Apostolus <sup>i</sup>: Quoniam scientia inflat. Denique & memoriam facile delet oblivio. Sic serva sermonem DEI, quomodo melius servare potes cibum corporis tui. Nam & ille panis vivus est, & cibus mentis. Panis terrenus dum in arca est, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate corrumpi. Ubi verò comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei. Beati enim qui custodiunt illud <sup>k</sup>. Ergo trajiciatur in viscera quaedam animæ tuæ: transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede bonum, & delectabitur in erasitudine anima tua. Ne obliviscaris comedere panem tuum, ne exareseat cor tuum, sed adipe & pinguedine repleatur anima tua.*

*Si sic verbum DEI servaveris, haud dubium quin ab eo serveris. Veniet enim Filius ad eum de Patre, veniet Propheta magnus qui renovabit Hierusalem, & illa nova faciet omnia. Hoc enim facit hic Adventus, ut sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus & imaginem cœlestis <sup>l</sup>. Sicut vetus Adam effusus per totum hominem, & totum occupavit: ita modo totum obtineat Christus, qui totum creavit, totum redemit, totum & glorificabit; quique totum hominem salvum fecit in sabbato. Erat in nobis aliquando vetus homo, prævaricator ille erat in nobis tam in manu quàm in ore & in corde. In manu dupliciter, per facinus & flagitium. In ore similiter per arrogantiam & detractionem. In corde quoque per desideria carnis, & desideria gloriæ temporalis. Nunc autem si qua nova creatura in ipso, vetera transierunt, & contra facinus in manu, innocentia: contra flagitium, continentia est. In ore contra arrogantiam, verbum confessionis: contra detractionem, verbum ædificationis, ut recedant vetera de ore nostro. In corde verò contra carnis desideria, charitas; humilitas contra gloriam temporalem. Et vide si non in his tribus Christum DEI verbum recipiant singuli electorum, quibus dictum est.*

*Pone me signaculum super brachium tuum: signum super cor tuum <sup>m</sup>.*

*Et alibi, Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo <sup>n</sup>.*

*h Psal. 118. b*

*i 1. Cor. 8. a  
Sermones DEI  
servandi non  
in sola memo-  
ria, sed etiam  
in oribus.*

*k Luc. 11. d*

*l 1. Cor. 15. f  
Triplex inno-  
vatio nobis  
prestata per  
Christum;  
Cordis, oris,  
operis.  
Inde virtutes  
succedunt vi-  
vitiis.*

*m Cant. 8. b*

*n Rom. 10. b*

*De triplici Adventu, & carnis resurrectione.*

## S E R M O VI.

Volo vos, Fratres, non ignorare tempus visitationis vestræ, sed ne illud quidem quid hoc tempore visitetur in vobis. Animabus enim hoc tempus est non corporibus assignatum, quod videlicet longè dignior anima corpore, priorem sibi sollicitudinem naturali vendicet dignitate. Sed & prior reparanda est, quam constat corruisse priorem: Anima siquidem corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Denique si Christi membra volumus inveniri, sequendum nobis est sine dubio caput nostrum; ut videlicet prima nobis reparandum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse iam venit, & quarum prius mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reservemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratiâ est venturus, sicut meminit Apostolus, dicens <sup>a</sup>: *Salvatorẽ expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* In priori siquidem adventu tamquam præco, vel magis verò præco ipsius Joannes Baptista clamat: *Ecce, inquit* <sup>b</sup>, *agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Non dicit morbos corporis, non molestias carnis, sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. Ecce, qui tollit peccata mundi, Unde? Uti que à manu, ab oculo, à collo, demum etiam à carne ipsa, cui altius infixum est.

Tollit peccatum à manibus, commissa peccata delens: tollit ab oculo, purgans cordis intentionem: tollit à collo, violentam removens dominationem: sicut scriptum est <sup>c</sup>. *Sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Itemque. *Computrescet iugum à facie olei* <sup>d</sup>. Et Apostolus loquitur dicens <sup>e</sup>: *Vt non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Siquidem alio in loco ait idem Apostolus <sup>f</sup>: *Scio, inquit, quod non est in me bonum, hoc est, in carne mea.* Et alibi <sup>g</sup>: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sciebat nimirum non prius liberandum se esse à pessima illa radice, quæ carni infixæ est, à lege peccati quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solveretur: unde & cupiebat dissolvi, & cum Christo esse <sup>h</sup>, sciens quòd peccatum separans inter nos & Deum, penitus auferri non poterit, donec liberemur à corpore. Audistis de quodam quem Dominus curavit à dæmonio, quoniam collidens & multum discerpens eum dæmon exivit ab illo <sup>i</sup>. Itaque dico vobis, genus illud peccati quod totiens conturbat nos (concupiscentias loquor & desideria mala) reprimi quidem debet & potest per gratiam D E I, ut non regnet in nobis, nec demus membra

*Anima prior  
& potius curanda quam corpus.*

*Primus Christi adventus spectat ad curam anime: secundus ad curam corporis.*  
<sup>a</sup> Philip. 3. d  
<sup>b</sup> Joan. 1. d

<sup>c</sup> Esai. 9. a  
<sup>d</sup> Esai. 10. f  
<sup>e</sup> Rom. 6. b  
<sup>f</sup> Rom. 7. d  
<sup>g</sup> Ibid.

<sup>h</sup> Phil. 1. e

<sup>i</sup> Marc. 9.  
*Concupiscentia reprimi potest non potest nisi in morte.*

C 2

nostra

† Rom. 6. b nostra arma iniquitatis peccato, & sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo<sup>k</sup>: sed non ejicitur nisi in morte, quando sic discerpimur, ut anima separetur à corpore.

Habes ad quid venerit Christus, & cui intendere debeat Christianus. Propterea, noli, ô corpus, noli præcipere tempora: potes enim impedire animæ tuæ salutem tuam, ipsius operari non potes. Omnia tempus habent<sup>l</sup>. Patere ut nunc anima pro se laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris, & conregnabis. Quantum eius impedis reparationem, tantum impedis tuam: quod nimirum antè reparari non poteris, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam.

† Eccl. 3. a

*Sermocinatio  
dulcissima ad  
carnem, seu  
corpus huma-  
num.*

Nobilem hospitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota salus tua pendet de eius salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima verò peregrina & exul apud te est hospitata. Quæso te, quis rusticus, si fortè nobilis & præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiore? Et tu ergo fac similiter. Iniurias vel molestias tuas ne reputaveris: tantum ut hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est ut pro eo interim te exhibeas inhonorem.

*Corpus quan-  
tum debeat  
anima.*

Ac ne fortè despicias aut parvipendas hospitem tuum pro eo quòd peregrinus tibi videtur & advena: diligenter attende quid hospitis huius tibi præsentia largiatur. Ipse enim est qui tribuit oculis visum: auditum auribus præstat: ipse est qui linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitæ, si quid sensus, si quid in te decoris est, huius hospitis beneficium recognosce. Denique discessus eius probat, quid præsentia conferebat. Protinus enim anima discedente, lingua silebit, oculi nihil videbunt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expallescet. In brevi quoque totum cadaver putidum simul & putridum fiet, & decor omnis in lanienam convertetur. Ad quid ergo pro temporali qualibet delectatione contristas & lædis hospitem istum, quam nec sentire quidem ullo modo poteris nisi per ipsum? Adhæc si tantum tibi confert exul, & inimicitiarum causa à facie Domini sui eiectus, quantum tibi præstabit reconciliatus? Noli, ô corpus, noli impedire reconciliationem illam: quoniam grandis tibi exinde gloria paratur. Patienter, imo & libenter temetipsum expone ad omnia, nihil dissimules quod huic videatur reconciliationi posse prodesse. Dic hospiti tuo: Quia recordabitur Dominus tui, & restituet te in gradum pristinum, & tu memento mei.

*Corpus nihil  
sine anima.*

*NOTA.  
Quam præ-  
posterum, ab-  
sistere se totum  
ad curam  
corporis; ani-  
mā negligere.*

Omnino enim memor erit tui in bonum, si bene servieris illi: & cum

cum pervenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cùm in ultionem culpæ suæ exularet fervus tuus, pauper quidam apud quem hospitatus sum, fecit mecum misericordiam, & utinam retribuatur pro me Dominus meus. Primo siquidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit utilitatibus meis, non parcens sibi propter me, in jeuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame & siti etiam, in frigore & nuditate. Quid igitur? Profectò non mentitur Scriptura, quæ dicit: *m*: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* O si fortè gustare dulcedinem hanc, si fortè gloriam istam valeas æstimare! Mira enim dicturus sum: sed tamen vera, & omnino indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, & rex gloriæ, ipse descendet ad reformanda corpora nostra, & configuranda corpori claritatis suæ. Quanta erit illa gloria, quam ineffabilis exultatio, quando Creator universitatis, qui pro animabus iustificandis humilis antè venerat & occultus, pro re glorificanda, ô misera caro, sublimis veniet & manifestus; non iam in infirmitate, sed in gloria & maiestate sua? Quis cogitabit diem adventûs illius, quando descendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, & rapientibus illud obviam Christo in aera?

Quousque igitur caro misera, insipiens, cæca, demens: & prorsus insana caro transitorias & caducas quærit consolationes, imo desolationes, si fortè contingat repelli, & indignam iudicari hac gloria, magis autem nihilominus ineffabili in æternum excruciarî pœna? Non sic, obsecro, fratres mei, non sic: quinimo delectetur in huiusmodi meditationibus anima nostra: quin etiam caro nostra requiescat in spe, Salvatorem expectans Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit illam configuratam corpori claritatis suæ. Sic enim ait Propheta *n*: *Sitavit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea!* Desiderabat quidem anima prophetalis adventum priorem, quo se noverat redimendam: sed multo amplius caro desiderabat adventum posteriorem, & glorificationem suâ. Tunc enim implebuntur desideria nostra, & plena erit maiestate Domini omnis terra. Ad quam gloriam, ad quam denique pacem, quæ exuperat omnem sensum, ipse sua nos misericordia perducatur, nec confundat nos, ab expectatione nostra, Salvator quem expectamus, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula.

*Anime cura pro corpore tanquam bono & commo- do hospite.*

*m* Psal. 144. a

*Futura gloriæ contemplatio.*

*Gloriosior secundus Christi adventus quàm primus.*

*Terrenas consolationes respue, ut mereare divinas.*

*n*. Psal. 62. a

*Necessitas ad-  
ventus Christi.* **S**I devotè celebramus Adventum Domini, id facimus, quod oportet: Si quidem non modò ad nos, sed propter nos venit, qui bonorum nostrorum non eget. Verùm nostræ quidem indigentia quantitatè manifestius ipsa dignationis eius indicat magnitudo. Nec modo periculum ægritudinis ex ipso pretio medicaminis innotescit: sed & valetudinum \* numerus ex multitudine remediorum. Ad quid enim divisiones gratiarum sunt, si non videtur necessitatum ulla diversitas? Et quidem difficile est universas uno sermone prosequi indigentias quas experimur: sed occurrunt mihi interim tres communes omnibus & quodammodo principales. Nemo enim reperitur in nobis, qui non interim, & consilii, & auxilii, & præsidii indigus videatur. Nimirum generalis est humano generi miseria triplex: & quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miserabiliter laboramus. Nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, dejicimur & superamur.

*Triplex hominum miseria seu indigentia.*

*Huic remedium adfert triplex Domini adventus seu presentia.*

*a Rom. 8. f*

Necessarius proinde Salvatoris adventus: necessaria sic præoccupatis hominibus præsentia Christi. Atque utinam sic veniat, ut copiosissima dignatione sua, & in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem nostram, & nobiscum manens adjuvet infirmitatem nostram, & pro nobis stans fragilitatem nostram protegat & propugnet. Si enim ille in nobis, quis iam decipiat nos? Si ille nobiscum, quid de cætero non possumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino nec fallere queat: fortis auxiliarius, qui non lassescat: patronus efficax, qui & ipsum Satanam sub pedibus nostris velociter conterat, & omnia eius machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cuius sapientia in promptu sit instruere ignorantes: ipse Dei virtus, cui facile sit & deficientes reficere, & eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, Fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tam strenuum adiutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni collocatione committamus animas nostras: qui ad hoc ipsum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, & tenebras nostras illuminaret, labores levaret, & pericula propulsaret.